



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

vii [i.e. v]. Nec inæqualis participatio entis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

quatenus per nomen *ens* significatur, nul-  
lam dicit dependentiam à Deo.

V. Neque inæqualis participatio entis  
facta ab ejus inferioribus impedit ejus uni-  
vocationem; nam & animal perfectiùs par-  
ticipatur ab homine, quàm à bruto; ve-  
rùm hæc inæqualis participatio præcisè &  
formaliter oritur à differentiis inæqualiter  
perfectis; & non relucet in conceptu su-  
perioris. In summa ratio entis est univo-  
ca; nomen enim entis commune est Deo  
& creaturæ &c. & ratio per nomen eas  
significata in omnibus ejus inferioribus  
est perfectè eadem. Deus itaque & crea-  
tura in ratione entis non magis differunt,  
quàm animal & color in ratione sani; dif-  
ferre enim in ratione entis, hìc non sig-  
nificat, differre in perfectione entitativa,  
sed significat, non posse uno conceptu  
& una voce *entis* sub eâdem interpretatio-  
ne exprimi. Neque contrarius est nobis  
Arist. qui videtur hanc quæstionem non  
omnino determinasse; etsi enim 7. me-  
taphyl. 4. analogiam entis indicasse di-  
catur, subdit nihilominus ibidem: *Sed*  
*hec quidem, quomodocumque quis dicere*  
*velit,*

*velis, nihil differt*: Atque ex his conficitur ens esse genus etiam respectu Dei & creaturæ; etsi enim Deus species non sit, saltem prædicabilis, prædicatur adhuc ens de specie (id est, essentialiter & notabiliter differentibus).

VI. *Attributum seu passio & proprietas* entis dicitur illud, quod non est de primario & quidditativo ejus conceptu, cum essentia tamen entis connexum, eamque necessario consequens secundum nostrum concipiendi modum, reipsâ autem cum essentia identificatum, & sola ratione ab ea distinctum, convertibiliter de ea prædicabile. Talia entis attributa sunt *unitas, veritas, bonitas*; attribuuntur illa siquidem & adveniunt necessario juxta nostrum concipiendi modum enti secundum essentiam jam perfecto, afficiunt essentiam quasi subjectum & passum, sunt illi ita propria, ut nulli, quod ens non est, conveniant.

VII. *UNVM* definitur *indivisum in se, & divisum à quolibet alio*; seu *indivisum in se & indivisum à se*. Divisio rei in se est, quâ quid dividitur in plura, quæ in se continet, ita ut res divisa non maneat, sed membra rei divi-

ta,